

si scilicet vel pupillus sui juris factus agnoscat et ratum habeat debitum solvendo, vel ipse adhuc tutor de novo consentiat. Ratio sic explicandi ex ipsa lege sumitur; ait enim parte priore, *hæredem nihil debere de præsentī, quia pupillus nihil debet hæredi*; at, si naturaliter obligaretur, haud dubie etiam deberet de præsentī; ergo pars legis altera in dato sensu accipienda. Deinde quia alias probaretur nimium, scilicet pupillum transferre dominium pretii soluti inscio tutore irrevocabiliter, quod et contra leges apertas est, nec sustinent adversarii.

*Ad prob. 4<sup>m</sup>*. R. Legem intelligendam esse de pupillo, qui factus locupletior, scilicet ex mutuo, ex quo juxta dicta superius, mutuarius regulariter fit locupletior. Præterea ex textu apparet, non fuisse hic Jurisconsulto mentem respondere de obligatione pupilli, valeatne, vel non sed exponere vim senatusconsulti Trebellianici; itaque in pupillo obligationem aliquam supposuit, quæ juxta leges, alias jure saltem naturali subsistit, qualis est in pupillo qui locupletior factus. Eodem modo explicanda *L. 3. ff. Commodat. L. 44. ff. de solut.* nimirum de pupillo locupletiore facto.

*Dices*: At *L. 93. ff. de solut. et liberat.* quæritur, an ante deductionem Falcidiae possim tanquam æs alienum a massa hæreditaria deducere 100., quos pupillo credidi, et respondetur, quod non solum in quantum pupillus ex illis 100. locupletior factus, sed *solidum* creditum possim retinere ex hæreditate; ergo pupillus, etiam non locupletior factus, fuit vere obligatus.

R. N. Cons. Privilegium enim pupilli mere personale est, cujus personæ tantum leges favere volunt; aliis vero nec prodesse ob pupillum, nec obesse.

481. *Obj. V. 1<sup>o</sup>. L. 1. §. 1. ff. Deposit.* pupillus tenetur actione depositi; ergo obligetur, necesse est. 2<sup>o</sup>. *L. 101. ff. de V. O.* minores 23. annis se obligare possunt; ergo et pupilli. 3<sup>o</sup>. *L. 3. C. de in integr. restit. min.* minor debet petere restitutionem in integrum; ergo contractus ejus valuit; idemque de pupillo tenebit. 4<sup>o</sup>. Si pupillus contractum inivit sine auctoritate tutoris, obligatur pupilli hæres ad contractum servandum: atqui hoc dici non posset, si ipse pupilli contractus non valisset.

*Ad 1<sup>um</sup>*. R. Lex ipsa responsionem subministrat, et limitationem exprimit, si nempe dolum commiserit, tum enim obligari pupillum, ex ipsa Concl. constat, et *L. 1. §. 13. ff. Depos.* neque enim jura, dum alicui favent, ideo fraudibus patrocinari volunt.

*Ad 2<sup>um</sup>*. D. Ant. Se obligare possunt ad mere personalia C. quando agitur de alienatione rerum suarum N. Responsio constat ex Concl. II.

*Ad 3<sup>um</sup>*. R. D. Ant. Si contrahens minor curatorem non habuit C. si habuit N. Sed minor contrahens sine curatoris sui, quem habet, consensu, agit invalide; neque tunc restituitur in integrum; sed declaratur nullus fuisse. Ac eodem modo se res cum pupillo habet.

*Ad 4<sup>um</sup>*. R. N. min. Ut enim aliquoties dictum privilegium pupilli personale est, hujus personam non egrediens; igitur non transit ad hæredes, nec hæres quoad illud defuncti pupilli representat personam; ergo potest tamen obligari hæres, quin sic obligetur pupillus.

## ARTICULUS III.

AN, ET QUOMODO FILIUSFAMILIAS OBLIGETUR EX MUTUO?

482. *Præmitto I.* Filiumfamilias circa bona castrensia et quasi talia posse libere disponere, etiam alienando, ac proin circa illa contrahere valide, ac contrahendo obligari, dubium non est, constatque ex dictis *Diss. III.* de dominio filiorumfamilias, *L. 4. §. 1. ff. de Castrens. pecul.* Ex qua *L. 4.* etiam bene a contrario colligitur, invalide illum agere, si pubes est, contrahendo circa bona adventitia et profectitia sine consensu patris; sique adhuc impubes, etiam cum consensu patris; sumiturque præterea ex *L. fin. §. 5. C. de bon. quæ liber.* et quoad partem alteram, de filio impubere ex *§. 10. Instit. de inutil. Stipul.* Sola circa contractus filiorumfamilias remanet controversia quoad contractum mutui, an et qualem obligationem contrahant ex mutuo contracto? ob *senatusconsultum Macedonianum*, quod filiofamilias dat exceptionem contra creditores, exigentes restitutionem mutui. Prodiit hoc *senatusconsultum* auctore primum CLAUDIO Imperatore, deinde VESPASIANO auctore confirmatum a Senatu Romano, occasione cujusdam Macedonis, fœneratoris improbissimi, qui *incertis nominibus*, variis sub usuris libere filiisfamilias mutuas, inscio patre, dabat pecunias. Hinc filiorum perversio et corruptio, atque ob paratos semper nummos profusa vitæ licentia: ac quoniam mutuas dabat ad annos incertos, cum urgerentur a fœneratore ad restituendas, nec haberent unde solverent, aliquando vitæ patris ponebant insidias: ac cedebat malum tertium, filiorum, cum sui juris fierent, egestas, et occasus familiæ.

*Præmitto II.* Tres esse circa præsentem controversiam sententias. *Prima* vult, per exceptionem *senatusconsulti Macedoniani* non solum elidi actionem fœneratoris, sed omnem præterea obligationem, etiam naturalem tolli, resultantem ex mutuo, sive mutuum adhuc extet penes filium, sive consumptum sit. Hanc multi præsertim legum Dôctores tuentur; imo horum non pauci sentiunt, per *senatusconsultum* actionem omnem, etiam inefficacem, adimi creditoribus, adeo ut exceptio filiofamilias concessa, sit mera *exceptio facti*. *Alterâ* filiumfamilias vi hujus *senatusconsulti* non tantum liberari vult ab actione fœneratoris, sed etiam obligatione naturali restituendi mutuum, si non sit factus locupletior, id est, modo pecunia nec formaliter, sive in natura; nec virtualiter, sive æquivalenter in peculio extet; *Postremâ* pro jure naturali stat, ac contendit, per exceptionem *senatusconsulti Macedoniani* elidi quidem actionem fœneratoris in judicio, ut filius in hoc ad restituendum compelli non possit; remanere tamen cum ad restituendam pecuniam obligatum naturaliter, ac in conscientia; sive locupletior sit factus ex mutuo, sive non.

483. *Dico.* Filiusfamilias mutuum contractum sine præscitu patris, regulariter bona conscientia non solvit nec post mortem patris; sive factus fuerit ditior, sive non.

*Prob. 1<sup>a</sup>. pars. Ex tot. tit. ff. et C. de S. C. M.* quod negat creditoribus actionem efficacem, et filiisfamilias perpetuam concedit exceptionem, qua

possint repellere mutuantes, si quid repetant. Unde sic : Cuius bona conscientia licet uti jure suo et favore legis justæ, ut constat in aliis materiis; sic in specie mulier fidejubens, juxta senatusconsultum Velleianum juste opponit hujus senatusconsulti exceptionem, estque tuta in conscientia, nec obligatur naturaliter ad præstandum fidejussum, etiam juxta adversarios : atqui senatusconsultum Macedonianum concedit filiifamilias exceptionem perpetuam contra creditores ; estque hoc senatusconsultum justissimum ; ergo possunt filiifamilias bona conscientia hac exceptione uti , nec tenebuntur restituere. *Min.* constat ex *ff. et C. h. t.* ; justissimum esse , rationes ejus supra allatæ evincunt.

*Prob. 2<sup>a</sup> pars.* Ex *L. 9. §. 2. ff. de S. C. M.* ubi expressis verbis dicitur, ad rem non pertinere, si dicatur, ornamenta ex pecunia mutuata fuisse comparata, nec interesse, *consumpti sint nummi, an extent in peculio*, sed perinde in utroque casu huic senatusconsulto locum esse. Unde non satis consequenter loqui videntur illi, qui tum solum dari in filio obligationem naturalem volunt, quando nummi extant adhuc in se, vel æquivalenti. Nam vel senatusconsultum loquitur tantum de foro externo, vel etiam interno. In priorie casu extra dubium esset, filium obligari in conscientia ad restitutionem, sive nummi extent, sive sint penitus consumpti; hoc enim casu, pro foro conscientie haberet se mutuam filii, sicut quodvis aliud. Si vero alterum; ergo manifeste etiam tollit obligationem naturalem et in conscientia pro casu, quo pecunia extat in se, vel æquivalenti, cum idem æque diserte *L. 9. cit.* enunciet. Velle autem hic distinguere inter ornamenta utilia et inutilia, inter pecuniam utilem filio, et inutilem, est, ut ait P. BIERER noster licet adversarius, aquam limpida sine ratione turbare.

Dixi in *Concl. regulariter*; excipi enim debent casus sequentes, quibus filiusfamilias non tantum naturaliter, in conscientia; sed etiam civiliter; in externo foro obligatur ex contracto mutuo, 1<sup>o</sup>. si mutuam accipiens sit miles; hic enim pro eo habetur, qui sui juris est. 2<sup>o</sup>. Si habeat bona castrensia, aut quasi talia, quia respectu horum, cum sit dominus, habetur pro patrefamilias; idemque dicendum, si adventitia extraordinaria habeat; etsi enim respectu istorum non habeatur pro patrefamilias, liberam tamen administrationem habet. 3<sup>o</sup>. Si se patrefamilias simulavit, aut errore communi pro tali haberetur, *L. 3. ff. et L. 1. C. h. t.* 4<sup>o</sup>. Si legationis causa peregre degens, vel studiorum causa mutuam acceperit ad alimenta, aliave necessaria, *L. 5. C. eod.* 5<sup>o</sup>. Si mutuam non constiterit in pecunia; sed in alia re fungibili, ut vino, frumento; nisi tamen hoc in fraudem senatusconsulti factum sit, ut, his distractis, filius acquireret pecuniam, *L. 7. eod.* 6<sup>o</sup>. Si pecunia mutuata versa sit in utilitatem patris, *L. 7. cit.* 7<sup>o</sup>. Si filiusfamilias a patre præpositus fuerit negotiationi, hujusque intuitu sumpserit sciente patre, vel non contradicente, vel ratum habente; vel ipse filius postea, sui juris factus, expresse, vel tacite debitum agnoverit. 8<sup>o</sup>. Si ex titulo alio, quam mutuo, ut empto, debeat. 9<sup>o</sup>. *Si minor filiofamilias minori pecuniam credit; melior est causa consumentis, nisi locupletior ex hoc inventatur, L. 34. ff. de minorib.* Item, si minor annis cum filiofamilias majore contraxerit, magis ætatis ratio, quam senatusconsulti habeatur, *L. 11. §. fin. ff. eod.*

484. *Obj. I. L. 14. ff. de Condict. indeb.* ubi : natura æquum est, neminem cum alterius detrimento fieri locupletiolem; ergo.

*R. D. Ant.* Neminem *injuste* cum alterius detrimento fieri locupletiolem *C. juste*, cum assistentia juris æquis justisque de causis *N.* Ex his jus rerum maximarum etiam dominium in alios juste transfert, ut in præscriptione; ergo et in aliis potest quis fieri locupletior cum alterius detrimento, assistente justis de causis jure.

*Inst. 1. L. 10. ff. de S. C. M.* filiusfamilias ex mutuo accepto obligatur naturaliter; ait enim lex : *quia manet obligatio naturalis*; ergo in hoc casu jus filiofamilias non assistit. *Conf. L. 9. ff. eod.* filiusfamilias si, quod acceperat mutuam, solverit, non habet repetitionem soluti; ergo erat obligatus. Inde et fidejussor *L. ead.* nequit repetere solutum.

*R. D. Ant.* Obligatur naturaliter obligatione *efficaci*; item, manet obligatio naturalis *efficax N.* obligatur *inefficaciter*, manet obligatio naturalis *inefficax*, quam perpetua exceptione juste potest elidere *C.* Filiumfamilias ex mutuo accepto obligari naturaliter aliud non est, quam in contractu mutui celebrato validum utrimque intervenisse consensum; indeque mutuanti etiam natam esse actionem civilem, sed quam filius justa exceptione potest elidere perpetuo.

*Ad Conf. pariter D. Cons.* ut ante. Ex hoc ipso, quod solutum non repetat, obligationem ejus naturalem inferimus; sic et civilem, inde quod filiofamilias concedatur exceptio contra actionem creditoris; hinc enim sequitur, quod relicta sit actio creditori contra filiumfamilias debitorem, ac proinde etiam civiliter obligari filium necesse sit. Sed utraque filii obligatio inefficax est, sicut quoque actio creditoris; quia, uti hanc, ita et obligationem justa exceptione filiusfamilias potest efficaciter elidere, quæ sibi plane non repugnant, ut versati in jure probe norunt.

*Inst. 2.* Exceptio concessa filiofamilias est solum elisiva actionis civilis; ergo adhuc remanebit obligatio naturalis. *Prob. Ant.* Nihil enim novi in jure est, quod tollatur actio civilis, remanente obligatione naturali, ut patet in *actione redhibitoria, quanti minoris, injuriarum ac similium*; ergo etiam idem hic dici poterit.

*R. N. Ant. Ad prob. C. Ant. N. Cons.* Ratio differentie est 1. quod lapsu tempore a jure determinato priores actiones non tollantur, sive *elidantur* primum exceptione opposita; sed post lapsum tempus per se ex juris dispositione jam extinctæ sint, nullaque ex his amplius competat actori; sic *redhibitoria* v. g. post lapsum sex mensium expirat, nec eliditur tunc primum exceptione opposita; sed cum emptor post sex menses vult actionem illam instituere, nequidem amplius auditur, utpote jure agendi jam extincto : at in nostro casu actio creditoris, etiam antequam præscriptione privata extincta, ipsa filii exceptione efficaci juste eliditur. Quia tamen ulterius peti posset, cur in prioribus, extincta licet actione civili, remaneat obligatio naturalis, non in nostro casu; hinc 2. *disparitas est* ulterior : quia finis legum, dum post lapsum tempus actiones negant, ille est, ut non obruantur tribunalia multitudine litium; quem finem obtinent, remanente obligatione naturali; at, si remaneret obligatio naturalis restituendi in filio, elisa licet civili, senatusconsultum finem suum non sufficienter obtineret; nam ob remanentem in filio obligationem naturalem, cum hæc fortius obliget

adhuc satis tuti essent de futura solutione; proin, non obstante senatusconsulto, adhuc mutuas darent pecunias; sicque non impedirentur mala, quae tamen efficaciter hoc senatusconsultum eliminata e Republica voluit. Igitur ut finis ille saluberrimus efficaciter obtineatur, merito etiam exceptio senatusconsulti ad forum internum pertinere intelligitur, ne sine effectu sit, dum alias ad id, a quo senatusconsultum absolvit, adhuc sub periculo salutis astringeret lex conscientiae.

*Inst.* 3. Sufficenter senatusconsultum adhuc finem suum obtinet; ergo. *Prob. Ant.* Nam 1. creditores nullum habebunt medium, quo filium compellant in foro externo, cum eorum actio semper elidi possit. 2. Quia filii, saltem quamdiu vivit pater, in conscientia non tenentur. 3. Modo in Republica Christiana non est aequè timendum, ne filii vitae parentum insidiantur; ergo.

*R. N. Ant. Ad prob. 1<sup>am</sup>.* R. Esto, lex civilis non urgeat filios, at urgebit adhuc lex fortior conscientiae.

*Ad prob. 2<sup>am</sup>.* R. Neque hoc sufficit; etsi vivente patre non teneantur in conscientia, tenebuntur eo defuncto; quo tempore majori cum fœnore petent nummos creditores. Sed amabo! unde adversarii hoc discrimen erunt: filius non tenetur in conscientia, quam diu pater vivit: tenetur vero in conscientia post patris mortem? Certe lex, quae filium, vivente patre, a restitutione absolvit in conscientia, etiam absolvere debet post mortem patris, cum lex non distinguat; imo magis absolvetur in conscientia post vitam patris, quandoquidem hoc tempus senatusconsultum clare exprimat; ait enim, *placere ne cui, qui filiofamilias mutuam pecuniam dedisset, etiam post mortem parentis ejus, cujus in potestate fuisset, actio, petitioque daretur, ut scirent, qui pessimo exemplo fœnerarent, nullius posse filiofamilias bonum nomen, expectata patris morte, fieri.* Ergo vel nunquam in conscientia tutus erit, vel utrobique.

*Ad prob. 3<sup>am</sup>.* R. Esto pariter quod hodie in filiis christianis hoc periculum aequè metuendum non sit; at perversio, corruptio juventutis ob paratos nummos non evitabitur satis, malo in ipsam Rempublicam redundante. Nemo enim novit, quantum juvenus, per se satis lubrica, inque malum prona, animetur ad illud amplius, si paratam habeat pecuniam. Unde nec obœratio satis evitabitur, ac futura egestas.

485. *Obj. II.* Exceptio Macedoniana est pœnalis, utpote condita in odium fœneratorum; ergo odiosa est; ergo strictæ interpretationis; ergo non extendenda ad forum internum.

*R. D. Ant.* Est pœnalis tantum, et ex fine primario *N.* non tantum pœnalis, vel ad summum ex fine secundario *C.* Etsi enim exceptio hujus senatusconsulti odiosa sit respectu fœneratorum; respectu Reipublicæ tamen, ad cujus damna cavenda principaliter intenditur, est favorabilis; consequenter latæ interpretationis, et, ex datis supra causis, merito pro interno quoque foro data censetur.

*Obj. III. 1<sup>o</sup>.* Iniquum videtur pro beneficio damnum pati: atqui mutuum dans filio, huic beneficium confert; ergo. *2<sup>o</sup>.* Saltem tenebitur filius, si ex mutuo factus sit ditior; 1. quia tunc cessat principalis causa privilegii Macedoniani, nempe periculum, ne insidias vitæ parentum struant, nimia

filiorum obœratio. *2.* Pupillus et minor obligantur, in quantum facti ditiores; igitur et filiofamilias. *3<sup>o</sup>.* Ponamus tandem, quod filiofamilias mutuum sumens coram creditore renunciaret beneficio hujus senatusconsulti et quod usque adeo hanc renunciacionem juramento firmet; igitur tunc saltem solvere tenebitur.

*Ad 1<sup>am</sup>. D. M.* Iniquum videtur pro beneficio, citra aliquam culpam præstito, damnum pati *C.* pro beneficio, contra leges, sicque culpa præstito *N.* Qui cum culpa sua damnum sentit, id sentire non videtur, *L. 203. ff. de R. J.* at talis est mutuans filiofamilias sine scitu patris. Deinde probatur nimum, quod nequidem pro foro externo mutuatori posset denegari actio.

*Ad 2<sup>am</sup>. R. N. Ass. Ad Conf. 1<sup>am</sup>.* R. Etsi cesset illa causa; non tamen cessat altera, licet minus principalis; nimirum quia simul ad coercendos fœneratores hoc senatusconsultum conditum est, et in horum odium concessa hæc exceptio filiofamilias; poterunt igitur adhuc illa uti. Deinde etsi in particulari casu cesset subin ratio legis; non ideo cessat lex, si ratione nitatur et præsumptione universali; hoc senatusconsultum vero, seu ratione etiam nititur periculo communi perversionis, corruptionis filiorum.

*Ad 3<sup>am</sup>. R. N. Cons.* Utraque enim renunciatio, tam simplex, quam jurata non subsistit.

*Non simplex;* 1<sup>o</sup>. Quia si filiofamilias per pactum renunciare posset senatusconsulto, leges saluberrimæ redderentur enerves; pari enim facilitate filii renunciarent senatusconsulto, qua petunt, et acceptant pecuniam; sicque eadem metuenda essent mala, quibus senatusconsultum occurrere voluit.

*Neque dicas:* Si renunciatio valeat, non aequè facile pecuniam mutuam petituros, eo quod nequeant deinceps creditores repellere; sicut e contra ideo facile petunt, quod sciant, se senatusconsulti beneficio posse creditorum actionem elidere. Nam ratio, cur filii facile mutuam pecuniam petant, ea est, ut paratam habentes liberius vivere, et suo indulgere genio, licentiæ, luxui, etc. possint; hoc igitur ut oblineant, aequè facile, expresso pacto, renunciabunt senatusconsulto.

*2<sup>o</sup>.* Senatusconsultum Macedonianum latum est non tam in favorem filiorum, quam parentum, ipsiusque Reipublicæ cujus plurimum interest, juventutem non perverti, ut habilior fiat ad gerenda Reipublicæ munera et onera, saltem huic oneri non sit; item, in fœneratorum odium; ergo filiofamilias probabilius senatusconsulto renunciare non possunt; etsi enim renunciare quis possit *favori et juri pro se introducto*; non tamen illi, quod aut in favorem aliorum, aut odium, imo publici boni causa introductum.

Deinde et *jurata* probabilius non subsistit; quia juramentum cederet in præjudicium tertii, scilicet patris, imo Reipublicæ; nam et renunciatio jurata eadem post se mala traheret: nec potest quis juramento suo efficere, ut Respublica facinorosos non cohibeat; voluit autem illa hoc senatusconsulto fœneratores compescere; inque horum partim odium illud condidit. At nihilominus cum recentioribus quibusdam contra.

*Dices 1<sup>o</sup>.* Potest filiofamilias exceptione senatusconsulti non uti, itaque illi renunciare *tacite*; quia exceptio illa non est de genere præceptorum; cum hoc senatusconsulto solum statuatur, ut filius possit actionem creditoris elidere, *si velit*; ergo etiam poterit renunciare *pacto expresso*.

R. N. Cons. Quia in quaestionibus juris hęc argumentatio non tenet; nam retrorsio est in multis. Sic potest testator jure suo testamentum mutandi non uti; nequit tamen juri suo mutandi testamentum renunciare valide. Potest uxor, mortuo marito, non exigere dotem; non tamen juri illam exigendi renunciare potest; ut omnibus certum est. Potest minor non petere restitutionem in integrum, ergo etiam renunciare juri illam petendi; quod saltem communis negat sententia. Possunt partes litigantes non exigere juramentum calumnię; ergo et juri exigendi renunciare possunt. Negat hoc rursus communis auctorum; idem igitur in presenti dixeris. Ac ratio est, quia, utrum quis jus habeat, vel utrum jus existat, non dependet ab eo, cui jus datum; sed ab eo, qui concessit, cui privatus et subditus suo pacto nihil derogare potest. Igitur toto cœlo diversa sunt: *renunciare juri ipsi*, et *jure non uti*, sive renunciare in executione solum et tacite. *Idem responde*, si dicatur: potest filiusfamilias ipso facto renunciare senatusconsulto, nimirum solvendo debitum, cum ex dictis solutum non repetat; ergo et per pactum renunciare suo juri: fallit enim ex iisdem causis consequentia; nam facto renunciare est idem, ac tacite, vel in executione. Ac proinde etiam uti nolenti filio salva manet perpetua exceptio.

Dices 2<sup>o</sup>. Potest mulier renunciare senatusconsulto Velleiano; ergo et filiusfamilias Macedoniano. Ante responsionem

Observe: Senatusconsultum Velleianum esse pariter beneficium juris, concessum mulieribus, quo statuitur, *ne fidejussionis nomine ab his petitio, neve in eas actio daretur*. Utuntur hoc beneficio femine bona conscientia, eaque velut exceptione actionem oppositam elidunt, L. 9. ad S. C. V. ubi dicitur, quod *senatusconsultum de intercessionibus mulieris obligationem efficacem esse non sinat*. Competit etiam hęc exceptio hæredibus, fidejussori, et procuratori mulieris. Non tamen competit mulieri 1. si fidejussit in rem suam, eam faciendo meliorem. 2. Si intercessit pro causa pia. 3. Si sine intercessione pro alio solvit, vel donavit. 4. Si intercessionem elapso biennio reiteravit. 5. Si in dolo versata est, ac creditorem ad contrahendum induxit fraude; e. g. fingens se in rem suam fidejubere; nam, ut ait L. 5. C. ad S. C. V. *senatusconsulto infirmitati, non calliditati mulierum consultum est*. Nunc

R. D. Ant. Mulier potest renunciare senatusconsulto Velleiano, hoc est, potest eo non uti, sicque renunciare in executione C. Potest renunciare juri sibi ea lege concesso N. Sicque inter utrumque senatusconsultum par ratio est. Igitur ipso actu uti non tenetur. Itaque expediuntur omnia juris axiomata hic objici solita; velut: *invito beneficium non datur*, L. 69. ff. de R. J. item: *quilibet renunciare valet ei, quod pro se noscitur introductum*, c. 23. de Regular. tum: *unicuique licet contemnere hęc, quę pro se introducta sunt*, L. 41. ff. de Minorib. et similia.

Demum ex hac ipsa renunciatione tacita, dum senatusconsulti beneficio in executione non utitur filiusfamilias, ita satis solidum formatur argumentum contra adversarios. Licet filiusfamilias exceptionem senatusconsulti in judicio non opposuerit, itaque illi renunciaverit tacite; potest tamen adhuc, post sententiam condemnatoriam, opponere eandem in judicio per claram L. 11. ff. de S. C. M.; ergo etiam, si expresse eidem renunciasset; taciti enim et expressi eadem vis est; ergo signum est, quod renunciatione expressa senatusconsulto non renunciet.

## ARTICULUS IV.

AN ET QUANDO ERROR AC DOLUS, ITEM METUS VITIENT CONTRACTUS?

486. *Premitto I.* Ad valorem contractus requiri consensum internum, ex dictis de ejus essentia constat. Et vero obligatio omnis, quę est in contractu, nascitur ex animo se obligandi; ergo ubi hic verus non adest, neque est obligatio. Animus hic in foro externo pręsumitur; quia quisque pręsumitur loqui, ut sentit, et debet. Consensus ille etiam deliberatus esse debet; nam per contractus restringis libertatem actionum tuarum; hoc vero nemo censetur nisi deliberate facere. Demum consensus externe manifestatus esse debet; nam contractus est actus humani commercii; ergo humano modo fieri debet, et manifestari exterius. Quęritur jam hic: an, et quomodo contractus per errorem, dolum, et metum vitietur, eo quod repugnare illa consensui videantur? Pro quo

*Premitto II.* Error est deceptio, quę in contractu sine ullius culpa intervenit. Alius est *substantialis*, qui est vel circa rei, de qua contrahitur, substantiam, scilicet a contrahente aliter cognitę, quam est in se; vel circa naturam contractus; vel circa hujus motivum principale, ut: si emas vitrum, putans esse gemmam, est error circa substantiam: si vendam tibi agrum, sed putes me donare, error est circa naturam, id est hoc loco, substantiam ipsius contractus: si Caię promittas dotem, quia putas esse consanguineam, cum non sit, error est circa motivum principale. Alius *accidentalis*, qui versatur circa qualitatem accidentalem rei, vel contractus, vel motivi; sic si emas equum decennem, quem putas esse quinquennem, error est accidentaliter circa qualitatem rei: si agrum, quem tibi trado, putes me debere ex testamento, cum debeam ex venditione, est error circa qualitatem contractus: si ducas Caiam, quia putas esse pacificam, cum sit rixosa, est error circa qualitatem motivi. Pręterea alius est *antecedens*, qui inducit ad contrahendum, quod alias non fieret, si de vitio constaret; unde et dicitur *dare causam contractui*. Alius *comitans*, qui quidem non movet ad contrahendum; facere tamen potest, ut alio modo contrahatur, e. g. ematur minori pretio. Inde dicitur *incidens in contractum*.

*Dolus* e contra est studiosa alterius circumventio: estque iisdem ex causis vel *substantialis*, vel *accidentalis*, ex quibus error. Pręterea alius est *verus*, qui vel confessione dolose agentis, vel ex indiciis certis deprehenditur. Alius *pręsumptus*, qui ex circumstantiis, etsi non ita manifeste, colligitur.

*Premitto III.* Metus est trepidatio mentis, instantis, vel futuri periculi causa; L. 1. ff. quod met. caus. Alius est *gravis*, qui cadit in constantem virum, h. e. cum movet, ut faciat, quod alias non faceret; ut est metus mortis, atrocis cruciatus, infamię publicę, jacturę bonorum, etc.; sive hęc mala quis timeat sibi, sive liberis, parentibus, uxori; juxta quosdam etiam fratri et sorori. Ad metum gravem referunt Doctores reverentialem, quo filius timet gravem offensam patris, religiosus Pręlati, subditus Principis. Alius *levis*, qui tantum potest movere animos molles, non constantes. Potest *levis* tamen esse *respective gravis* respectu personarum meticulosarum, quę